

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 91. (*Neovidensis* 1806. Nro. 85.)

Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.

Elysium. - Meum. - Die Martis 4. Novemb. 1806 (*Neov.* 21. Octob.)

Alia tempora alii heroes; sed quotidie idem sol oritur, idem sol occidit; quotidie tenebrae luci, lux tenebris succedit. O aeternam constitutionem mundi ab aeterno! o variabiles institutiones hominum!

Hec de reb. d'v.

Colloquentes umbrae:

Fridericus II. et Ludovicus Princeps Borussiae.

Ludovicus. Hodie summa opus est cum eo patientia, est morosus, tetricus, & inquietus. Sed erat vir — — —

Fridericus. Gratulor te hic adesse, jam dudum te optavi.

Ludovicus. Vestra Majestas?

Fridericus. Fusti in tugurio Charontis? Nullosne ibi notos, aut populares reperisti, huc adventantes?

Ludovicus. Qui advenerunt, primis solummodo mensis labentis diebus patria exces-

serunt, multa quidem narrant, sed nihil certi.

Fridericus. Accelera gradum ad Charontem, expiscare omnia, hic te operiar.

Ludovicus. Propero (*abit.*)

Fridericus. Imminentium rerum tristes imagines me agitant, terribilia animo meo obversantur, nullus debito, quin aliqua gravia evenerint. Mea domus plus lucrata est neutralitate, quam bellis. Verum quo magis crescit aliquis status, eo plures numerat inimicos. Olim meae domus politica medium locum tenuit Austriam inter, & Russiam, nunc autem inter Russiam, & Galliam. Hodie est annus — quantae affulgebant spes — ad meum sepulchrum porrexerunt sibi dextram — Russia, et Borussia. Nunc alia est positio, timeo, exhorresco — —

Ludovicus. Adduco hominem, qui die 17. hujus inde discessit, quam plurima scit referre.

Fridericus. Amice! Quid agitur ibidem?

Ignotus. Bellum sumpsit exordium, horridum bellum!

Fridericus. Quomodo? ubi? (*praesagium!*)

Ignotus. Quatuor diebus pugnabatur, die 9. 10. 13. & 14. hujus. Ubique Borussi succubere.

Fridericus. Quo pacto?

Ignotus. Primum proelium commissum est contra Generalem Tauenzien — hoc potest summi pro declaratione belli, tunc enim primi, hostilitatis actus exerciti sunt. Longe

graviu
dovic
pericu
dere a
esse r
batur
bus o
ruam
hoc e
bor.
flictu
li cir
cti su
tota i
dem.
Naur
De
14.
quos
milli
100
um
russi
sa e
ad p
tra V
siae
Bru
dor
cen

gravius dimicatum est die 10. Princeps Ludovicus Ferdinandus praesenti se obicit periculo, in quo ab hostibus circumdatus evadere amplius non potuit. Primum credebatur esse mortuus, dein res haec in dubium vocabatur, at nunc certum est, eum ex vulneribus occubuisse.

Ludovicus. Ibo ad tugurium Charontis, tuam in amplexus Principis. Superi! quale hoc exordium?

Friedericus. Matura iter, hic te praestolabor. (ad Ignotum) Quis ergo erat exitus conflictuum die 13, et 14. commissorum?

Ignotus. Sinistrum cornu Borussicum Gallici circumviverunt, quo facto opportunam nacti sunt positionem; res tormentaria eorum tota impetiit Borussos, magnamque intulit cladem. Ultimam praelium, intra Vinariam, et Naumburgum non procul Jena erat terribile. De quo praevia gallica relatio ita habet: Die 14. hujus gallicus exercitus cum Borussis, quos ipse Rex ducebat, manus conseruit, 25. millia Borussorum capta sunt, et plura quam 100 tormenta erepta, maxima pars Generalium Borussicorum vulnerata est, exercitus Borussicus fugit sine ordine. Pugna haec commissa est ad Jenam. Imperator utitur victoria ad persequendum hostem, ejus miles jam ultra Vinariam progressus est. Regina Borussiae aegre admodum petiit tutiora. Dux Brunsvicensis, Campi Mareschailus Möllendorf, et Generalis Rüchel inter vulneratos censentur.

Fridericus. Nescis, quo se recipiat exercitus Borussicus ?

Ignotus. Videtur Gallorum Imperator velle suum hostem remove ab Albi, impedireque, ne se cum Russis, qui undenam adveniant, incertum est, possit conjungere. Interim Borussis, eorumque Regi fixum est belli aleam continuare.

Fridericus. (Secum ipso: Exemplum ab Austriacis anno praeterito datum egregie sunt imitati, est repetitio belli anno superiore gesti.) Sed quae fuit occasio belli ?

Ignotus. Hac de materia sequentia leguntur in ephemeridibus :

Parisiis 16. Octobris. Nudius tertius Princeps Archicancelarius Regni juxta mandatum Imperatoris, et Regis se contulit in Senatum, ubi consveto ceremoniarum more acceptus postquam consedisset, in hunc modum verba fecit ad Senatores: Mei Domini! Scriptum, quod Sua Majestas Imperator, & Rex ad Senatum misit, & declarationes, quas ejus nomine facturum sum, eo tendunt, ut de proposito, quod modus agendi Borussici gubernii extorsit, certiores reddamini. Quaeritur, quanam possit esse causa belli, quod ob tantam, tamque multis annis Galliam inter, & Borussiam vigentem amicitiam, & potissimum propter communes utrique nationi utilitates vix, aut ne vix quidem praevideri poterat. Resolutio hujus quaestionis continetur in scriptis Ministri negotiorum externorum ad Suam Majestatem, & pluribus

Notis inter Ministros utriusque gentis commutatis. Ex perlectis his documentis intellegitis mei Domini! Suam Majestatem nihil eorum prætermisisse, quæ ad pacem conservandam faciebant, diuque optimam ejus retinendæ spem fovisse. Unde illud etiam perspicietis, dignitatem coronæ, atque obligationem protegendi Rhenanum foedus, exegisse, ut vis vi repellatur. Nullus Imperantium minus habet metuendum bellum, atque Imperator, & nullus est promptior illo ad sistendam profusionem sanguinis. In suscepto bello, & reliquis, gloriosæ terminatis pro Sua Majestate militat tam conscientia recte factorum, quam justitia causæ; confidit in amore suorum populorum, & fortitudine exercitus, plenamque collocat fiduciam in toties probato eorum fervore, indeque indivulso nexu promanante felicitate Republicæ. Post hæc Princeps Archicancellarius exhibuit Senatui. Litteras Imperatoris, & Regis; duas relationes Ministri negotiorum externarum Principis Beneventani ad Suam Majestatem, atque sex diplomaticas Notas.

Omnia hæc acta ad verbum exponit hesternus Monitor. Nos præcipua tantum excerpimus ex relatione Ministri negotiorum externorum, quam Monschii die 3. & 6. fecit. In prima inter cætera ita ait: Duæ factiones, altera quæ bellum, & altera, quæ cupit pacem, longo jam tempore dividunt Borussia. Illa, cujus conatus hactenus semper in irritum ceciderunt, persuasa, se

nonnisi artibus posse voti damnari, in eo enitebatur, ut excitetur diffidentia, adeoque sollicitè vitetur declaratio, quae utriusque gubernio lucem adferret, sicque in eum statum conjiciatur, ut necesse sit ad arma, & vim descendere. Infelix sane consilium, quod auctores eo successu effectui dederunt, ut ipsi illud aliquando periculosum dicturi sint. Praesentis belli causa sita est in caecis animi affectionibus, quae jam multas Aulas in errorem induxerunt. Interim si non soli hi affectus, sed aliud aliquod personale commodum induxit Aulam Berolinensem ad bellum, fuit certe desiderium sibi subjiciendi Saxoniam, & civitates Hanseaticas, removendique obstacula, quae in hanc rem deservitura Vestra Majestas declaraverat.

In altera relatione ista habentur: Esto in litteris paucos ante dies ad Vestram Majestatem datis affirmaverim, Borussiam, si ob aliam aliquam causam arma capiat, id unice intendere, ut Saxoniae, & civitatibus Hanseaticis dominetur, attamen praevidere non poteram, ut hoc motivum palam faciat. Confiteri autem illud non erubuit, uti docet Nota mihi a Knobelsdorfio Divoduro submissa, quam obtutui Vestrae Majestatis debito cum honore substerno.

Cum dolore animi assero, nec habeo spem, ut possit pax conservari, talibus enim angatur conditionibus, quae cum aequitate,

et h
ejusmo
les gal
la Ger
ginin

S
Senat
collat
quam
Fran
runt.

Boru
filius
vem
min
etat
hod
tuli
intr
Æs
Pra
ani
seq
Lu
cit
pro
del
lo

et honore nequeunt componi, atque ejusmodi verbis, et formulis proferuntur, quales gallicus populus nullo tempore, et a nulla Gente acceptavit, et multo minus sub regimine Vestrae Majestatis acceptare potest.

Senatus perlectis his actis curavit sibi per Senatorem Lacepede faciendam relationem, collatisque suffragiis mentem suam aperuit, quam Imperatori Senatores: D' Aremburg, Franciscus Neuschateau, et Colchen detulerunt.

B I O G R A P H I A.

Fridericus, Carolus, Ludovicus, Princeps Borussiae, Frater modo regnantis Regis; et filius Friderici, Vilhelmi II. natus erat 5. Novembris A. 1773. A prima juventute specimina dedit vivacis ingenii, singularisque pietatis, qua erga suos Parentes, et fratrem, hodiernum Regem, ferebatur. Praeterea peculiari pollebat intelligendi vi, qua de causa intra breve tempus insignem fecit in Historia, Aesthetica, et historia naturali profectum. Praecipua tamen dos, qua se distinxit, fuit animus impavidus. Omnes Borussici Principes sequuntur militiam, quo in genere Princeps Ludovicus exemplo fuit omnibus. Magni fecit milites, pro merito eos remuneratus est, propria fortitudine eos animavit, sed etiam debitas exegit a delinquentibus poenas. In bello contra Gallos A. 1793 gesto ostendit men-

tis acumen, et invictum animi robur, finis
toque 6. Junii A. 1794 praelio adversus Ko-
ciuskius comisso in praemium exhibitae pru-
dentiae creatus est a Rege generalis excubi-
arum Magister. A. 1793 die 26. Decembris
inivit matrimonium cum Friderica, Carolina,
Sophia, Alexandrina Principe Mecklenburgi-
ca, quod concordia, amore, ac teneritudi-
ne fuisse distinctum, inter omnes constat.
Ætate A. 1795 nominatus est Coadjutor or-
dinis Melitensis in praefectura Brandenburgica,
et a Principe Borussiae Ferdinando Sonnebur-
gi in numerum Equitum relatus, quae electio
omnes Equites ingenti complevit gaudio.
Verum Nobilissimus Principum, comparata
sibi praeclare factis, et liberalitate per totam
Borussiam nominis existimatione, reverentia,
ac amore, post 4 hebdomadarum infirmitatem,
rebus humanis exemptus est 28. Decembris
A. 1796.

7 In eadem hac Officina Belnayana sequentes,
præter complures alios, libri venales
prostant :

Historia Regni Hungariae 1804. 8. maj. 1 fl.
30 xr. Charta scriptoria 2 fl. 15 xr.

Tavaszi Virágok. 1805. re. Szede B. I. Po-
sonyban 1805. 8-vo 18 kr.

Cétsényi Svastics Ignátz Magyarok' Histo-
riája, három rézre metszett képekkel
III. T. maj. 8. 1805. 5 fl.
